

ritque intersignum, quod ipsa dixerat esse verissimum, quia locum sepulchri, in quo Henricus abbas positus fuerat, vidit oculo ad oculum.

Cap. 40 [Conclusio de^o vita^p beati Conradi]

Igitur sicut audivimus et ex relatu seniorum nostrorum cognovimus et sicut iidem de suis senioribus contemporaneis felicis memoriae Conradi de Herlsheim audierant et cognoverant, ita ea collegimus et conscripsimus. Multa tamen brevitatis causa omittentes haec praedicta compendioso et periculoso stilo perstrinximus, ut intelligentes nulla prolixitate oneremus et iuniores magis benivolos et attentos reddamus. Exorandus ergo, charissimi, dominus noster Iesus Christus, unigenitus filius dei patris, ut det nobis copiam suae benedictionis, qui beatum Conradum accinxit virtute confessionis, faciatque dominus, nos eius meritis benedici et eius intercessione contra omnia adversa muniri. Et qui fecit illum coruscare virtutibus et miraculis, nos exornet bonorum operum incrementis. Illiusque suffragio nos faciat felices, cuius agimus memoriam ovantes, quatinus eius exemplis eruditi et intercessione muniti illi in caelesti regione coniungi possimus, quem cum Christo domino gaudemus regnare. Quod ipse praestare nobis dignetur, qui cum deo patre in unitate spiritus sancti vivit et regnat unus deus per infinita secula seculorum. Amen.

o) über der Zeile eingefügt *W*₁. p) korrigiert aus vitae *W*₁.